

Bibliothèque numérique

medic @

**Jussieu, Antoine de - candidat /
Falconet, Camille - président. - An
Foetui sanguis maternus alimento ?**

1711.

***Paris : Apud viduam Francisci
Muguet Typographi Regis
Cote : ms 2325 n°55***

55

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ secundâ Februarii 1711.

M. CAMILLO FALCONET, Medico Regis ordinario & amplissimi Galliarum Cancellarii, Doctore & Præside.




An Fœtui sanguis maternus alimento ?

I.

GENERARI dicitur Animans, ex quo nutriri incipit: ut in nutritione posita sint haud minùs Animantis initia, quàm incrementum atque perfectio. Verùm alia nutritionis ratio in primordiis, alia in ætate subsequenti. Majorem alimenti partem in Fœtùs venas ex Matre transfundi, omnibus fere obvium est; at non ita multis animadversum, quid, præter insolitas quibus comseat vias, Fœtùs alimentum ab Adulti alimento discrepet. Discriminis illius tria sunt capita, qualitas quantitas & motus. Nuttiendi corporis qualitas consimilem desiderat qualitatem in succo nutrituro: quàm mollia ac tenera sunt Embryonis Fœtùs ve alendi stamina, tam mites delicatas ductilesque decet esse alibiles particulas. Maximâ verò copiâ alibilem succum affluere oportet, qui ex tantulo puncto Fœtum in eam molem augeat, ut ratio, quâ humanus V. G. Fœtus per novem menses crescit in utero, decies millies & ampliùs superet rationem, quâ per reliquum vitæ cursum ad justam magnitudinem pervenit. Motu tandem, nisi quàm lenissimo, non fas est in compagis adeo teneræ recessus, succum nutricium irrepere.

II.

HARUM conditionum nulla deest lacteo succo, quo turget uterus à conceptu. Non citiùs aurâ seminali sœmineus sanguis afflatur, quàm uteri contextus mirum in modum immutari occipiat. Tum genitale aruum emolliri, fibræ laxari, meatus invii tunc primùm recludi, quibus serum lactescens à sanguine fecernatur ac in cellulas uterinas confluat. Is est nimirum liquor, quem stillantem ex uteri fundo membranæ Fœtùs cæcis quasi poris initio combibunt; placenta deinde radiculis in cellulas actis manifestè trahit; ut pars ejus per venam



umbilicalem sanguini committatur, pars altera in Amnii cavitate supportetur, unde fugat Fœtus ubi fugendo erit. Talem liquorem genuinum esse Fœtus alimentum negaverit is solus, qui rationi simul & sensibus nuntium renniferit. In plerisque Animalibus uterus mammae instar succo illo turgidus deprehenditur: in Ruminantibus præsertim tam ex uteri cotyledonibus quam ex chorii carunculis plenis manibus emulgetur. Præterea quid in illo desiderari potest, ut alimenti munia perfectè impleat: flos est delibatus sanguinei cremoris, tantò purgatiór ipso mammarum lacte quantò Fœtus tenerior est puero lactente. Suppetit deinde quantum satis sit, majori in dies copiâ pro Fœtus incremento in uterum confluens; ipse aliàs totus quantus est alibilis. Denique ut humores lymphatici, quod genus est succus ille nutricius, moderato cursu feruntur, ita ille sensim sine sensu, ut par est, in Fœtus venas illabitur.

III.

IN sanguine materno quaras frustra quæcumque in lacte uterino obvia se se dant: nam ut eodem ordine aggrediamur, viæ nullæ apparent, quibus sanguis ille in Fœtum ab utero commeet. Nimirum ex parte Fœtus, ne minima quidem hiant vasa in placenta superficie, modò illæsam tractes, quibus, vel si validè comprimas, sanguinis guttam possis elicere: ex parte verò uteri, vasa quibus menstrua erumpunt numquàm magis impervia sunt, quam graviditatis tempore; quippe quæ Fœtus utero affixus mole suâ ad uteri fundum replicata admoveat sicque occludat: hoc obice remoto per hæc eadem vasa fluunt lochia, cùm sanguini congesto hæc sit facilior via, quam per venas subsidentis post partum uteri molis. Commentitia itaque est arteriarum & venarum Matris conglutinatio cùm venis & arteriis Fœtus: concessio etiam illam fieri posse; nulla certè est, dum conceptus omni nexu solutus utero comprehenditur; quod primis graviditatis temporibus fit in omnibus Animalibus, in quibusdam ad extrema usque: tunc sanè in uteri cavum priùs effundi sanguinem necesse foret, quam vasorum placenta ostia subiret; quod quidem fateri reformident, vel ipsi hujus sententiæ patroni. Jam verò quàm à ratione alienum est, sanguinem sulfure & sale ferventem, qualis est maternus, in Embryonis corpusculum infundi: profectò alibiles partes talis liquoris alveo convectæ, non tam alendo corpori profutura, quam tot heterogeneæ præpollentes nociturae essent: præpostere etiam Natura videretur egisse, quæ Animalis adulti sanguinem in Animalculum, dum imbecillius est, ejus nutriendi causâ induceret, quod robustius deinde factum mammarum lacte tantùm cibatur. Nec quantitas materni sanguinis, ut ut non deficiat, tam insigniter augendo Fœtui par esset, cùm vix ille centesimâ sui parte alibilis censendus sit; recrementis verò iis abundet, quæ per incernicula Fœtus majori copia secedere deberent, quàm re ipsâ secedunt: quandoquidem, quicquid purgamenti superest de humore, quo per novem menses alitur Fœtus, humanus v. g. id omne vesicâ & intestinis facilè contineri videmus: Postremò si quid valet decantata illa fluida inter & solida æquilibritas, annon sanguinis motus ex uteri arteriis in Fœtus venas corde materno impulsu violentior est, quàm ut tenellæ fibræ obsistere valeant? An etiam corculum Fœtus impetu

3
sanguinis à corde materno vibrati jugiter quassatum sui juris motum retinere
poller, quin rhythmum validioris cordis sequi cogeretur.

IV.

RATIONIBUS validissimis, si quid iudicii nostri est, sententia de san-
guine materno oppugnata fuit; illas tamen experimento anatomico cumu-
labimus, eoque inter alia bene multa ut facillimo ita liquidissimo; ne qua veri-
tatis lucem refugientibus latebra supersit. Canis gravida in prociūdu partūs
vasis sanguiferis sectis sanguine exhauritur, ut vix semuncia, idque in corde vel
proximè cor sit reliqua; tum aperitur uterus, qui exsanguis omnino est, pla-
centæ catulorum eximuntur, quod levi tactu facias, & apertis membranis catuli
reperiuntur sanguine pleni imò vivi, etiam si dimidiam horam à Matris morte
membranas aperias. Valeant igitur quæcunque temere observata huic experi-
mento repugnaverint: si quis Fœtus exsanguis occurrerit in muliere quæ ex alto
lapsa sanguinem omnem profuderit; vel exsanguem putandum est Fœtum
vicio conformationis jam antea fuisse, vel vase aliquo placentæ rupto sanguinem
profluxisse, cujus vestigia observatorem fefellerint, parum, ut fere fit, ad ea
attentum quæ præjudicatæ opinioni adversantur. Quicquid id est, observatio
temere instituta, quam casus obtulit, nec iterum forsân offeret, non habet
ictum quo minimùm labefactet experimenti auctoritatem, quod pluries repe-
titum eadem ratione semper succedit; quodque, si incredulis lubet, sexcenties
iterum repeti potest. Mitto autem cætera quibus fidem allatæ observationi mu-
nire conantur; & uterum & placentam, quæ se spectant, membranâ carere;
ideoque vasorum utrimque hiantium facilem conglutinationem esse: nullas esse
glandulas in utero quibus humor lacteus fecernatur; aliaque id genus quæ veritati
tam repugnant quàm tenebræ luci. Cæterùm lochia in argumentum suæ opinionis
trahere: placentam nescire cui usui foret, nisi sanguini à matre excipiendo inter-
viret, atque similia id tantum evincunt, Viros esse præclarè aliàs de re anatomicâ
meritos, quibus volupe sit ignorare quod alii gaudent cognovisse.

V.

FOETUS, totum in toto, Animal in Animali, partibus Matris annumeran-
dus minimè est: mortuæ Matri sæpe enim superstes, communi vitâ nequa-
quam ei conjungi fidem facit. Sua cuique est vita, quippe suus cuique sanguis ab
ingenitâ cruoris guttâ, unde & in Molis sanguinis origo. Verùm si sanguine
eodem uterque animaretur, jam vitæ communitate in unum coalescerent duo,
ut simul interitura, ita nullo tempore a se invicem forte divellenda: quò enim
vasorum sanguiferorum conglutinatione magis inveterasceret, eò ægrius divelleret-
tur: sic numquam graviditati partus succederet; quippe qui non solum à
præsenti conglutinatione semper impediretur; sed etiam unde cieretur, causam
non haberet: nam in eo ipso prima partūs ratio posita est, quòd maternus
sanguis Fœtu exclusus vasa uteri sub finem graviditatis ita distendit; ut inde vas-
cula, quibus succus lacteus commeat à Matre ad Fœtum comprimantur;

4
 sicque Fœtui alimentum subripiatur, placenta radice contabescant &c. Quid
 plura dicendorum numquam foret finis; cum veritatis argumenta ut depromuntur,
 majori semper copia subeant: analogiam tamen ex Oviparis petitam omittere non
 licet: hac sola si non vincitur, res saltem aliunde demonstrata mirè illustratur.
 Siquidem cum nihil Ovipara inter & Vivipara videamus interesse, nisi quatenus
 in his alimentum Fœtui per partes in momenta subministratur; in illis verò
 totum simul & semel in ovo congeritur; quàm verisimile est, alimentum illud,
 ut in Oviparis nemine refragante, ita in Viviparis alienum a sanguine profus
 esse. Sic tandem ductis a ratione ab experimentis & ab analogiâ argumentis jure
 concluditur.

Non ergo Fœtui sanguis maternus alimento.

Domini Doctores disputaturi.

*M. Thomas Bernardus
 Bertrand.*

*M. Hyacinthus Theodorus
 Baron.*

*M. Alexius Lître Acade-
 mie Regia scientiarum so-
 cius.*

M. Aegidius Adam.

*M. Joannes Nicolaus De-
 lahire ex Academia Re-
 giâ scientiarum.*

*M. Petrus Joannes Burette
 Professor Regius, è Regiâ
 numismatum Academia.*

*M. Camillus Falconet,
 Præses.*

M. Philippus Caron.

M. Ludovicus de Vaux.

Proponebat Parisiis ANTONIUS DE JUSSIEU Lugdu-
 nœus, in horto Regio Parisiensi Botanices Professor Regius
 & Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1711.

Apud viduam Francisci Muguet Typographi Regis. 1711.